



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 151. Quomodo in peccatis alienis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

- ¶ 1131 *Q. 151. Quomodo explicanda sit species in peccatis alienis. R. §. 1.* Qui inducit vel consilium dat alteri, v. g. de furto secum patrando; item qui sollicitat vel seducit alterum ad luxuriam; qui in Missa provocat alterum ad fabulas, aut aliter verbo & exemplo incitat ad peccandum secum, committit saltem duplex specie peccatum, ideoque in Confessione debet addere, si fuerit inducens, consulens, sollicitans, provocans, uti intelligitur ex dictis à n. 984. ubi plura dicta sunt circa scandalum.
- ¶ 1132 §. 2. Inductio ad peccatum, sive fiat per consilium, sive per iussionem, sive per consensum &c., est ejusdem speciei, & satisfit dicendo, sui alteri causa talis peccati. Adulatio tamen & laus præsentis de peccato factò regulariter addit aliam speciem, quia excitat non tantum ad complacendum in peccato præterito, sed etiam ad iterum peccandum, *Lugo d. 16. n. 266. Dicast. d. 9. n. 528.*
- ¶ 1133 §. 3. Si quis peccet cum alio, qui non ita peccet, sicuti ipse, v. g. si consanguineam inducat ad fornicationem, quæ ignorat consanguinitatem, malè confitetur dicendo, induxi aliquam ad incestum mecum, ipsa enim non commisit incestum, sed solam fornicationem, ideoque addere debet ex parte sua fuisse cognitionem, sed ex parte mulieris fuisse ignorantiam consanguinitatis. Similiter qui ad fornicationem induxit mulierem stultam vel plene ebriam, debet hoc ipsum addere, alioquin si dicat se induxisse mulierem ad tale peccatum, Confessarius judicabit eum peccasse etiam peccato scandali, cum tamen talis mulier scandali

capax

capax non fuerit, *Dicast.* à n. 239. Reliqua intelliguntur ex dictis à n. 984.

Q. 152. *An in Confessione explicari possit una species divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ.* R. § 1. Malè fit, si in eadem prima Confessione id fiat, quia est contra sinceritatem Confessionis, ideoque Sacerdos Confessario ignotus, qui fornicatus est, malè sic confiteretur, *sum fornicatus, Peccavi contra votum in materia gravi*, *Lugo & alii cum Arr. d. 35. nu. 41. contra Suar., Avers. q. 10. f. 7. Dicast. d. 9. n. 170. Bosco d. 7. f. 8. n. 175.* Ratio est, quia explicat peccatum aliter, quàm commiserit, nam significat se duo peccata divisim commisisse habentia singulas primarias malitias, quarum nulla sit circumstantia alterius, quod falsum est, cum commiserit unicum habens duas malitias, quarum una est circumstantia alterius.

§. 2. Si quis sit confessus unam malitiam & oblitus alteram, tum tantum sufficiet in Confessione sequente addere hanc alteram, quando per utramque confessionem omnes malitiæ sufficienter intelligentur, v. g. si Sacerdos ille heri confitens & non reflectens se ad circumstantiam sui voti dixisset, *sui fornicatus*, satisfaceret hodie dicendo, *se graviter peccasse contra votum Castitatis*, quia jam expressit utramque malitiam, & una potest sine altera intelligi, *Navar. Henriq. Sanch. Bonac. Arr. n. 35. Bosco n. 170. contra Bonaspei d. 8. n. 112.* E. contrà si commisisset adulterium, & non reflectens se ad circumstantiam conjugatæ, dixisset, se esse fornicatum, deberet hodie iterum repetere adulterium, nec satisfaceret dicendo, intuli alicui, aut etiam conjugi gravem injuriam, quia per